

**Dignaris** parvos ; in cœtu & carmen eodem  
 Sæpe tuum læta voce canis . Virides  
**Arcadiæ** testor lauros , collemque beatum ,  
 Et nemus , & nemoris numina Parrhasii .  
**Salve** iterum , atque mei quæ mitto pulchra sodalis  
 Dona ( tibi faveat sic tua Musa ) cape :  
**Cunctantemque** domus tuta intra septa libellum  
 Coge tuo inscriptum nomine perque manus  
**Ocyus** egressum , perque ora incedere vulgi ;  
 Nemo tuo clarum nomine lædet opus .  
**Fide** patrocínio tali , jam fide libelle ,  
 Qualiscumque nihil jam tibi permetue .  
**PATRITII** dicere liber . Fac cœtera desint  
 Omnia , res una hæc sospitem , & incolumem  
**Præstiterit** . Livor frustra latrabit , amaris  
 Frustra te dictis lingua inimica petet .  
 Ut Phœbi postquam dignata est laurus amore ,  
 Et dici germen cœpit Apollineum ,  
 Nil tristes metuit nimbos , cœlique fragorem  
 Horrificum : illa viret sacra comam , patulos  
**Diffundens** late ramos : flammantia circum  
 Tela Jovis magno densa cadunt tonitru .

